GREGORIUS I. MAGNUS
Österreich (?), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 112r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36640
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Tu mihi es refugium a pressura que circumdedit me exultatio mea redime me a circumdantibus me; Qui enim circumdari se pressuris narrat. et tamen dominum sibi esse exultationem nominat. Procul dubio carmen in nocte cantat;

Quia igitur paene semper in bono carmen ponere scriptura sacra consuevit. Ita a nobis et ita in hoc loco debet intellegi; Uae autem in scriptura sacra sepius de aeterno luctu quam presenti solet intellegi; Unde scriptum est;

Uae impio in malo retributio manuum eius fiet ei; Et beatus iob loquitur dicens; Si impius fuero. ue mihi est; Si autem iustus. non leuabo caput saturatus afflictione et miseria;

Iustorum enim afflictio temporalis est; Ucce ergo quod dixit a temporali afflictione distinxit; Qui et iustum afflictione et impium uae habere prohibuit; Per semetipsam ueritas quoque ueritas dicit; Ue mundo abscandalis. et uae uobis quiridetis quoniam flebitis. et uae pregnantibus et nutrientibus in illis diebus; Pensandum ergo nobis est quomodo haec tria in sacro uolumine scripta sint. lamentationes carmen et uae; Lamentationes uidelicet quia in eo scripta est penitentia peccatorum; Carmen autem quia ibi pronuntiantur gaudia iustorum; Uae autem quia illic expressa est damnatio reproborum; Ut ergo peccata punias. lege que in hoc